

343 r.t.

Dissertatio
inauguralis medica
sistens
Osteographiam juxta aetatem
et sexum.

Quam aduentibus
Illustrissimo, ac Magnifico
Domino
Praeside, et Directore,
Perillustri ac Spectabili Domino Decano ac
Clarissimis D. D. Professoribus
pro Doctoris medicinae laurea rite obtinenda in Antiquissima
et Celeberrima
Universitate Vindobonensi
publicae disquisitioni submittit

Joannes Koehrig
Moravus.

In Theses calcis operis adnexas disputabitur in
Universitatis die Mensis Augusti

Vindobonae,
Typis Congregationis Mechitaristarum.

P r a e f a t i o .

Finis, in quem praesentem conscripsi dissertationiculam, determinatio aetatis tum foetuum, tum adultorum atque sexus est ex solis, quae supersunt, ossibus. Attamen tanquam pere exigua solummodo rudimenta hac in re consideranda sunt, quae enim desuper in Auturum scriptis dicta reperiuntur, aut generaliores tantum periodos aetatis humanae tuto determinare et skeleton foetus imaturi a maturo, infantis ossa ab adultorum et senum ossibus distinguere permittunt, sexum vero non ita ante perfectum ossium evolutionem; aut quae arctiora temporis intervalla produnt, signa necessariis experimentis non sunt comprobata ita, ut pro infallibili norma declarari possint. Passim

discreta, quae circa hanc materiem adnotata exstant, quantum potui designatis ubique fontibus, e quibus hauriebam, collegi. Quid enim, quae-so, tironi opus adgressuro, quod intuitui ac repetitae observationi iisque solis innititur, quibus mihi nec tempus nec media concessa sunt, agendum restat, quam apum populi adinstar flores adire suaveolentes, qui ex fertili progerminant agro virorum expertorum, ac materiem ex nectariis haurire? Et quidem sat fecisse reabuntur arbitri, dummodo ex illa propriis digestionis organis subjecta mel prodeat gustui non penitus inamoenum. Utinam hancce laudem mereretur labor!

6. 1.

Partium organismi humani solidarum durissimae rigidissimae fragiles insensiles et putredini resistentes ossa dicuntur, et ex calce phosphorica et gelatina maximam partem consistunt 1).

6. 2.

Haec autem attributa non nisi ossibus competunt sanis et adultis, a primo enim conformatio[n]is momento ad perfectam usque evolutionem varios cohaesionis, consistentiae, elasticitatis etc. gradus percurrent, unde et reliquae modificantur proprietates. Nec desunt morbosae ossium deviationes a normali textura, figura, pro-

1) J. Jacquin Chemie 2. Band. Wien 1812. Art. Knochen.

portione, nexus situque 2) praeter illas formae mutationes, quas aliae circumstan-
tiae aetas, sexus, consuetudo, vitae ge-
nus et vestimenta, alimenta ac p[re]e om-
nibus nativitas 3) inducere valent. Nos
brevi exposita ossium historia, eas po-
stea adducemus notas, quae ab aetate
pendent et sexu, et in quantum his ipsis
determinandis inservire possunt in usus
et fines medicinae forensis.

6. 3.

Triplex ossium evolutionis status no-
tandus venit: gelatinosus, cartilagineus et
tandem osseus proprie talis. Ab initio (id,
quod quinta vel sexta post conceptum se-
ptimana videre est) materies in os serius
mutanda mollem et tremulum refert gela-
tum aquae innatantem parum agitata so-
lubilem, leni calore fere absque residuo

2) Ad Bonn descriptio thesauri ossium mortuorum Ro-
vianoi Amst. 1785. 4. et ejusdem tabulae ossium mor-
tuorum 1785 fol.

3) Blumenbach Geschichte und Beschreibung der Knochen.
Göttingen. 1786.

Ejusdem Decas collectionis craniorum divers. gen-
tium. Göttingen. 1790.

avolantem 4). Paulatim durescit haec materia et solidescit, in candidum cartilagineum serius oryus amissa pelluciditate et albedine in os abituram.

6. 4.

Diu et multum de natura illius matriae, quae osseam indolem tandem adipiscitur, et de modo, quo id fiat, certatum est. *Vesalius* 5) carlaginosam esse ossium basin docet eique *Albinus* 6) et Cl. *Sömmerring* 7) assentiantur. Affirmat hic omne os verum exceptis dentibus vel ex vel in cartilagine enasci, quae cartilagines ideo temporariae sive ossescentes dicuntur, ut a permanentibus distinguantur; eam vero ossificationem in parte ante non cartilaginea ortam abnormem nuncupat. Basin ossium ligamentosam defendit *Duvernaï* 8).

4) B. S. Albini icones ossium foetus et osteogenia. Lugd. Batav. 1737. pag. 150.

5) Opera omnia anatomica et chirurgica. Lugd. Bat. 1725.
T. II. in examine Fallopianarum observat.

6) I. c. pag. 150.

7) Vom Baue des menschl. Körp. Frankf. 1731. 1. Bd. § 30.

8) Lettre contenant plusieurs nouvelles observations sur l'osteologie in Halleri collect. dissert. anatom. Vol. VI.

Coiterus 9) primum ligamenta dein cartilagine ossa fuisse. *Nesbitt* 10) quaedam ex membranis, alia ex cartilagine fieri contendit. *Du Hamel* 11) primus periostium in os transformari praecipit probavitque experimentis in animalibus institutis, quibus interna primum periostii lamella in os verti et ossificationem extrorsum propagari visa fuit. Ad ulteriore sententiae confirmationem ossium indagavit callum, quem non effusione succi ossei in os, sed ex solo periostio consistere observavit, spatium enim fracti ossis replet vel saltem hic loci incrassatur cartileginis primum, serius ossis consistentiam acquirens. *Dethleff* 12), *Bordenave* 13), et *Halle-*

9) *Brevis historia ossium et explicatio eis.* Norimbr. 1573
fol. pag. 109.

10) R. Nesbitt the human osteogeny. Lond. 1736. pag.
7 — 15.

11) Observations sur la reunion des fractures des os dans
l'histoire de l'academie royale année 1741. à Paris
1744.

12) Diss. ossium calli natura per fracta in animalibus rabiae
radice pastis ossa demonstrata. Goett. 1753. 4.

13) Memoire sur les os apud Fougeroux pour servir de
reponse aux objections contre le seulement de du Hamel. Paris 1760.

rus 14) praegressae non stant sententiae; periostium nunquam ossificatum reperiisse asserit, ast e proprio glutine in cartilagine mutabili os formari omnemque in os metamorphosin abs periostii separatione absolvit. Pari modo *Bordenave du Hamelii* impugnavit opinionem dicens, succum osseum jam in sanguine contineri multisque vasis ad ossa transferri. Attamen periostium ad ossificationem contribuere dubium sane non est, multa enim ejus vasa internam petunt ossium substantiam, in crassari periostium tracto osse toties observatur atque in osse periostio destituto nunquam callum, sed cariem ossis oriri constans est phoenomenon. *M. Troja* 15) Chirurgus Neapolitanus experimentis casti institutis periostii irritatione novi ossis incrementum, medullae vero devestatione reproductionem ossis promoveri et nullam obtineri regenerationem nisi medulla destrueretur, invenit. Textum vero cellulosum ad ossium formationem contribuere probatur, si calce phosphorica ope

15) Opuscula minora Tom. II. pag. 460

15) De nosorum ossium regeneratione et destructione ex per iuventia. Paris 1775.

acidi abacta reliquum parenchyma coquitur, quo facto extracta parte gelatinosa membranulae remanent indolis cellulosaes 16). *Reichel* 17) et *Hunterus* 18) per ossificationem arteriarum os produci autuant.

6. 5.

Quoad osteogeniam quoque diversae sunt autorum sententiae. *A. Monro* 19) pressione eam explicare conatur, quam adjacentes partes exerunt, *Walter* 20) disruptione obturatarum per succum osseum arteriarum. Juxta recentiorum sententiam — *Cl. Sömmerring* 21) et *Bichat* 22) — materia cartilaginea per vasa resorbentia suscipi et evehi, ossea vero per arterias pe-

16) *Bichat anatomie generale*. Tome III, p. 51. Uebersetzt v. Pfaff.

17) *De ossium ortu et structura in Sandifort thesaur.* Vol. III.

18) *Philos. transact.*, pag. 480.

19) *Traité d'osteologie traduit de l'anglois par Sue à Paris* 1759. fol.

20) *Abhandlung von den trockenen Knochen* 1763.

21) I. c. §. 30 et 31.

22) I. c. pag. 18.

riostii ad internam substantiam ossis delatas deponi et in formas idoneas crystallisari videtur. Subest absque dubio quemadmodum omni productioni organicae ita et ossium origini processus galvanicus ex mutuo contactu fluidorum et solidorum certo modo mixtorum oriundo, cui fibra ossea tanquam ultima materiae organicae metamorphosis progressiva innititur.

6. 6.

Rite perlustrata ossium substantia ubique eadem sola forma tantum diversa reperitur. Est nimirum texturae fibrosae, cuius fibrae aut a se invicem magis distantes cellulas formant, aut strictissime sibi adunatae discerni vix queunt et densam compagem efficiunt. His fundatur textura compacta et osseo-cellularis, ad quam referenda quoque est reticularis et squamosa. Juvabit structurum ossium descriptentem divisio in longa sive cylindrica, plana et mixta i. e. talia, quorum dimensiones omnes sibi sunt fere aequales.

§. 7.

Ossa cylindrica ejusdem ubique configurationis ad adparatum locomotivum pertinent, in extremis suis crassiora ac in medio occurunt. Ista textu osseo-celluloso interne referta 23), in hujus medio vero canalis reperitur medullaris, qui deficit, quousque compages adhuc est cartilaginea 24). Externe et in corpore crassam fibrae osseae longitudinaliter decurrentes et compactam offerunt texturam, in fine utroque tenuem nonnisi crustam. Cellulae canalis medullaris tenuissimis filamentis fiunt, quae cum extremorum et densae portionis cellulis communicantes in reticulum in medio condensantur, unde textura reticularis ossium notatur.

§. 8.

Genesis horum ossium et ordo ejusdem haec est: quamprimum materies ossi

23) Vide tab. I. fig. 1. 2. in opere cel. Scarpa de penitiori ossium structura, Lipsiae 1799. 4. et in Boehmeri osteologia fig. 1 — 4.

24) Bichat. I. e.

destinata cartilagineam adepta est natu-
ram, ossificatio seu calcis phosphoricae
adpositio (juxta *Bichat*) 25) orditur. Os
scilicet quodam in loco non semper eodem
flavescit et punctum rubellum ostendit, ru-
brum sanguinem tunc vasa vehere deno-
tans, simulque partes circa circum solidi-
tatem ossis nanciscuntur.

§. 9.

Duo haec momenta semper concur-
rant ad ossis cujuscunque ortum necesse
est, et ubicunque cartilago rubedinem ac-
quirit a percurrente sanguine ossificatio
inchoat. Invenit quoque *Bichat* 26) inter
cartilaginem et ejus ossificatam portionem
vasculosum et praerubrum stratum. Enata
hoc modo particula ossea seu punctum os-
sificationis crescit continuo, donec omnis
cartilago in unum os versa fuerit. Cum
porro loca vasis praedita omnium primo
ossecent, quod probatur, quoniam ante
horum comparitionem nulla ossificatio ob-

25) I. o.

26) I. c. pag. 34.

tineat, mox vero in conspectum prodeat quamprimum a sanguine distenduntur, et cum horum vasorum puncta insititia in ossibus longis tria sint principalia, in corpore et utroque fine, tria quoque puncta ossificationis solito comparent. Extrema tamen diutius manent cartilaginea v. g. in humeris, uinis; alia e contra uti interiora ossium digitorum primi et secundi ordinis ab osseo corpore paulatim tota absumentur 27). Pleraque autem et ab osseo corpore et simul ex proprio intus orto osseo primordio in os mutantur, relicta tamen semper aliqua parte cartilaginea inter corpus et adnexum finem, quae epiphyseos nomine venit, in seriori demum aetate partim a corpore partim ab additamento tollitur quoque, totumque ante tribus constans ossibus perfectum et unum est, uti ante ossificationem una cartilago. Quamprimum cartilago ad ultimam extremam laminam usque ossificata est, incrementum ossis in longum desinit, atque haec est ratio, cur pisces quidam spinis cartilagineis instructi crescant continuo 28).

27) *Albin.* l. c. pag. 151. et *Blumenbach* *Osteologie* p. 19.

28) *Sommering* l. c. §. 50.

6. 10.

Ossa plana ad construendas parietes cavitatum potissimum destinata una plerumque superficie convexa, concava altera gaudent, in medio tenuiora laminis duabus densa compage confectis, tabulae 'vitreae dictis constant; quarum fibrae radiatim a centro ad peripheriam disperguntur 29), includentes diploēn i. e. texturam osseo-cellularem lamellularum formam aemulantem hincinde vero deficien-tem. Si haec ossa simplicis figurae sunt ac unguis, nasi, verticis, unus plerumque ossis nucleus isque in medio oritur radios inde quaquaversus dimittens, rarius plures sunt et cito tunc in unum confluunt. Si vero cartilagines in ossa mutandae majores sunt et compositae figurae v. g. temporis, frontis, cuneiformis etc. pluribus in punctis incipit os quod intermedium cartilaginem magis magisque absumens ex pluribus primum frustris, tractu temporis vero in unicum confluentibus constat.

29) Allin. I. e., tab. I, fig. 1 et 2.

Ad hunc ossium ordinem pleraque capitis pertinent. Caput in foetu excolitur prae omnibus aliis partibus, in embryone duorum mensium totius corporis dimidium mensurat et eo grandius, quo junior embryo, reperitur 30). Sed et in capitis ossibus, ossa cranii ante facialia evolvuntur, facies enim tertio mense tam brevis adhuc adparet, ut vix distingui possint partes singulae, margo infraorbitalis processum alveolarem maxillae superioris fere attingit. In sceleto foetus novem hebdomadarum, altitudo faciei a margine inferiore maxillae inferioris ad radicem nasi tres quartas partes altitudinis ossis frontis ad verticem usque tenet 31), quae ratio omnino progrediente aetate decrescit. Praeterea ossificatur basis cranii multo citius quam caetera ejus ossa, quae diu pellucida manent et fere membranacea. Ossificationis primordia duo anterius prominent in cartilagine

30) Albin l. c. Sömmerring l. c. §. 254.

31) Senff nonnulla de incremento ossium foetus in primis gravitatis mensibus. Hales 1802. 4.

frontis, in quovis latere duo unum superius in parietali, inferius alterum in temporum osse (centrum partis squamosae) animadvertisuntur, tandem posteriorius in crano ibi, ubi in adultis protuberantiae occipitis notantur.

§, 12.

Dicta mox ossificationis puncta una fere vice comparent, in crano foetus trium mensium jam clare distinguenda. In foetu quinque vel sex mensium ita increvere, ut pars superior cranii ex decem ossibus constet per continuatam separata membranam. Indies haec frusta increscunt, alia recentia rudimenta accedunt, suturae autem nondum visibles, sed residui sunt margines membranacei a sacco, qui cranium primitus formaverat. In foetu septem mensium sat largi illi adhuc reperiuntur, in foetu vero novimestri multum jam disparere, frusta duo anteriora in unum coalita os frontis — quod quidem in adultis hinc inde intermedia sutura divisum invenitur — perfectum et unicum constituant.

B

q. 13.

Ossa parietalia crescendo eo usque sibi adproximantur, ut eorum fibrae osseae alternatim in marginem se insinuent et suturam sagitalem forment, anterius eodem modo cum fibrillis ossis frontis suturam coronalem, posterius cum occipitis prominentiis aculeatis lambdoidalem et cum parte squamosa ossium temporalium suturam temporalem efficiant. Quum vero ossificatio in parietalibus ossibus tanquam planis a centro ad peripheriam tendat et unicum soluimodo primordium ossis habeat, quatuor illorum anguli tanquam remotissimi a centro ultimi ossificantur, unde fonticuli quatuor originem trahunt. Hi et reliqua spatia membranis tecta ossibus perfectis disparent, imo ipsae suturae sub senio eliduntur atque totum cranium ex unico osse compositum videtur 32).

q. 14.

Unionem ossium cranii perficiunt ossicula sic dicta Wormiana praecipue in

32) Rosenstein diss. de ossibus calvariae. Upsalae 1746.

Jenke diss. de ossibus capitinis. Lipsiae 1753.

sutura lambdoidea praesentia multangulis semper figurae et variae magnitudinis, in foetu nunquam obvia. Peculiaris ceterum usus iisdem nequaquam competit, uti nonnulli voluerunt, sed potius abnormis ossificationis producta videntur, et quemadmodum in ossibus cylindraceis in medio et in extremis ossificationis initia enata per frustulum cartilagineum longiore tempore separata existunt, ita in ossibus calvariae antequam radii incepti ossis peripheriam attingunt, in hac ipsa germe osseum enastitur, cuius radii inter illius se inserentes suturam gignunt circacircum 33). *

6. 15.

Ossa brevia seu mixta ob mobilitatem et firmitatem summam, quas sustinent, notabilia, figurae diversae intus multam telam osseo-cellularem gerunt, quam tenuis nonnisi lamella compactae compagis tegit. Omnium diutissime haec ossa cartilaginea manent. Adnumerantur iisdem ossicula tarsi et carpi, patella et sic dicta

sesamoidea. Haec magnitudinis pisí, signatae ad sphäericam accendentis in extremitatibus solum obveniunt, et quidem semper in directione contractionis qua summa virium intensione opus est, uti in articulatione pedum pollicis ac manuum cum osse suo metatarsi; et metacarpi. Exceptionem vero a communi lege ossificationis faciunt, nam primam originem in textu fibroso, tendine aut ligamento sumunt atque eorum vestigia post nativitatem primum cernuntur, qua fibrosae cartilagines, quarum vasa sensim rubro replentur sanguine atque eodem tempore uti in aliis consuevit, textus osseus - collulosus in internis, externe a compactis fibris obductus formatur. Basis vero fibrosa i. e. textura ligamentosa aut tendinosa semper remanet, ideo callus horum ossulorum ab aliorum callo differt. Interdum in seniori aetate ejusmodi ossa generantur, aut consueta justo plus increscunt atque gressum reddunt valde difficilem. In statu vero normali articulum custodiendo, tendines a centro motus diducendo ipsum motum facilitant 34).

6. 16.

Protuberantiae et lineae eminentes ossium ex integro fere ex densa constant fibrarum congerie exceptis illis, quae majoris sunt longitudinis, velut processus transversi vertebrarum et spinosi, qui cellularum quoque includunt. In articulis tegmen compactum minus crassum est, quia obducta insuper cartilago quoque defendit os. Cavitates, foramina et canales ossium non minus densa fibra investita sunt.

6. 17.

Omnē os obducitur membrana diversae crassitiei periostium dicta, cuius fibrae ejusdem sunt directionis ac ossis subjacentis *). Instructa est vasis copiosissimis arteriosis 35), venosis et lymphaticis; nervi aciem oculi humani effugiant quam-

* A diversa ramulorum arteriosorum directione fibrarum etiam ossium decursus pendet. Hinc in planis ossibus a centro versus peripheriam, in cylindricis potius parallellas decurrent, Hallerus duo hemisphaeria vascularia utrumque os sine ambientia observavit. Op. min. Vol. II. pag. 575.

35) Albini. I. c. tab XVI. fig. 162.

vis acutissimus illius sensus sub panaritio, exostosi, nodis, imo et sub laesione quavis mechanica eosdem adesse indicet. In lamellas distincte duas separari potest, poros ossium penetrat, et ad cavum internum deventa internum periostium medullam investiens audit.

§. 18.

Internum hocce periostium in lamellas non divisibile, tenui, ab erachnoidea a nonnullis derivatur, ex superficie membranulas emittit transversim ossis cavitatem permeantes et junctae inter se vesiculos cellulares referunt, in quibus matries oleosa, medulla dicta, per propriam arteriam minimis ramulis suis cellulas ambientem secreta, colligitur 36). Convenit hic adparatus cum illo adipis secretioni destinato. Medulla infantibus rubicundior ac liquidior est ac adultis, profunde flava et aquosa in senectute, in embrionibus loco illius gelatina cavum adimplet. Intendum in serum lymphaticum resoluta inve-

36) Allin, adnot. acad. lib. 3. tab. V. fig. 2.

nitur, uti in hydropicis. Praeter venas et arterias periostium internum quoque lymphaticis vasis instructum est, imo nervi d'u armato oculo distingui possunt 37). Experimenta *Monroi* et *Du Verney* 38) atque sensibilitas et dolores atrocissimi sub interiori ossium suppuratione ad nervorum praesentiam concludere jubent.

6. 19.

Praeter arteriam pro secretione medullae, alia vascula sanguifera quamplurima densam aequa ac cellulosam ossium compagem percurrent qua ultimae vasorum ossibus vicinorum remificationes. Docet hoc fractura ossis vivi, quam omni ex superficie stillicidium sanguinis insequitur, probatur porro usu radicis rubiae, quae omnem substantiam rubro tingit colore. Progressu aetatis vasa haec sanguifera numero minuuntur, quoniam concrescunt plura eorum, unde albus color ossium in proportione inversa numeri vasorum et in directa soliditalis substan-

37) *Monro* l. c. pag. 7.

38) *Memoire de l'Academie de science anno 1700,*

tiae osseae est. Ad praesentiam vasorum resorbentium et exhalantium ex analogia recte concluditur, sine quibus nec nutritio nec certi morbos ossium status intelligi possent. Eorum enim ope ossa calvariae planiora redduntur, in statu puerili compacta ossa obtinent sinus 39), incrementum ossium eo constat, quod major copia succi ossei ab arteriis advehitur, quam a lymphaticis absumitur 40), cartilaginem tollunt 41). In ossibus cylindricis semper nova lamina externa major precedenti additur, interna substantia iterum iterumque resorbetur 42), unde os majus et cavum redditur, cum alias in medio compactum remaneret. Hac perpetua mutatione alia ossa alias semper acquirunt figuram 43). Si sensibilitas nervorum praesentiae argumentum praebet, tum et ossibus competant, in carie enim sub tactu os vehementer dolet, ac materies granulosa quae post amputaciones et trepanationes in superficie ossis colligitur,

39) *Senff* l. c. pag. 13. 14.

40) *Ioem.* l. c. pag. 47.

41) *Sommerring* l. c. §. 32.

42) *Meierotto* pag. 25.

43) *Senff* l. c. pag. 13.

§. 20.

Tempus initiantis ossificatiois in foetu humano difficulter determinatur, quamvis anatomi plures inter eos *Kerkring* 44) id voluerunt. In gravi enim hoc opere sinistris secundisve circumstantiis coeretur vel adjuvatur nitus naturae formatiens. Scimus solum caput primis temporibus formam pellucidam et vesicalem habere, extremitates armatum quoque oculum effugere et serius aducto capit is et trunci incremento prodire.

§. 21.

Connubium ossium omnium mediis a natura receptis skeleton naturale exhibit. Nectuntur vero ossa inter se vel immediate vel ligamentis vel cartilagibus, quatenus vel mobilia vel non esse voluit natura. Coniunctio immobilis — *Synarthrosis* — immedio nexo ossium exsurgit, qui sutura fit dentata, serrata, squamosa, limbosa vel harmonia, aut gom-

44) *Dissertatione Sacrae*. Lugdus. Del. 1717 pag. 295.

phosi ac dentes cum maxillis. Per ligamenta cartilaginea — *Sympysis* — aut meras cartilagini — *Synchondrosis* — obtenta ossium junctura mobilitatem quidem ast exiguum admittit — *Amphiarthrosis*. — Ista vertebrae inter se, hac costae sterno nectuntur. *Diarthrosis* vero seu motus in varium sensum possibilis ope ligamentorum — *Syndesmosis* — fines duorum ossium proximos includentium obtinetur. Haec articulatio seu junctura proprie talis pro modo et gradu mobilitatis diversam adquisivit denominationem (45). *Syssarcose* i. e. per musculos praeter ligamenta jungitur vicinis partibus os hyoideum.


6. 22.

Ex hucusque perlustratis monumentis anatomicis ossium patet, variam eorumdem constitutionem pro varia aetate induere faciem, plures gradus subire, antequam ad sui perfectionem deveniant. Imo, quod serius trademus, a summo

(45) *Sommerring* l. c. §. 57.

evolutionis culmine iterum descendere, prout integer, cuius pars sunt, organis-
mus et inhaerens illi vita organica. Sin-
gu o termino successivi incrementi et de-
crementi sine dubio determinata quoque
mensura temporis respondet, quare aetas
ex solo conspectu ossium omnino cum ali-
qua saltem verosimilitudine indicari po-
terit, id, quod princeps hujus lucubra-
tionis scopus est.

6. 23.



Enumerabimus itaque constitutionem
structurae ossium pro ratione aetatis a
prima origine ad seram usque et ultimam
in senio mutationem, investigaturi inde
characteres, quibus temporum spatia,
quantum fieri licet, determinari possunt.
Notandum tamen est nec in ossium con-
formatione stabilem dare legem, a qua
natura non aberret, et calculum eo ma-
jorem admittare latitudinem, quo magis
est homo ab origine sua remotus. Praete-
rea requisitae deficiunt circa hoc thema
observationes, quao enim exstant hincinde,
paucae sunt et repetitis pluribus sunt com-
probандae.

6. 24.

Prima ossificationis rudimenta jam offert sceleton foetus inter primum et secundum mensem in utraque maxilla, costis, excepta prima et ultima, in scapulis, humeris, cubitis, radiis, foemoribus tibialis et fibulis; claviculae vero ex integro fere osseae indolis, ubi enim caetera ossa cylindrica solummodo granulum osseum in media longitudine ostendunt, hae non-nisi in extremis sunt cartilagineae 46).

6. 26.

Duorum mensium foetus puncta ossea, quae memoravimus latiora ac plane recentia praebet. Maxilla inferior in sex ante ossicula divisa nunc tota fere ossea frusta quatuor exhibit. In processibus alveolaribus utriusque maxillae cavitas septulis tamen nondum distincta crassa ac

46) *Senff* l. c. tab. II. fig. 1. *Bidloo* *anatom. corp. human.*
314 tabulis auctis *Amstel.* 1739 tab. C. fig. 1. 2.

Blumenbach *spec. physiologiae compar.* *Goett.* 1789.
fig. 1.

Boehmer *inst. osteol.* tab. I. fig. 3. 4. 5. et tab. II.

vasculosa gelatina reserta reperitur. Claviculas et costas, si summam et infimam excipias totas quantas osseam naturam induisse reperies. In extremitatibus praeter lineam medium albidad incepit ossificationem designantem, ex integro cartilagineis, nulla articulatio nulla separatio distinguitur 47).

6. 26.

Foetus aetatem trium mensium natus in fronte cartilaginea supra orbitam centra ossea ad os sincipitis se extendentia monstrat; Ossa sincipitis obscura solummodo ossificationis vestigia. Os occipitis ex quatuor frustis constans, haec ipsa magna ex parte ossea post exactum hunc mensem omnia in unum connata per suturae speciem ostendit. In ossibus temporum processus jugalis cum eodem maxillae superioris unum os jam perfectum constituit, in osse petroso annulus adparret instar fili tenuis osseus. Os sphenoideum hoc mense, ex tribus constat par-

47) Kerkring *Osteogenia foetuum* tab 3a. Senffl. c. tab. II, fig. 2.

tibus, processus pterygoidei exiguum quid osseum exhibent. In maxilla superiori osseum est id, quod ad zygoma construendum concurrit, pars propria maxillaris ex integro ossea, parvum pars nasalis. Vomer in loco sphenoïdi juncto ossificatur. Maxilla inferior ex duobus ossibus in mento cartilagine connexis constat, nam ossa coronoidea jam cum corpore coaevare. Vertebrae omnes tribus ossiculis, epistropheus quatuor notantur, tres superiores vertebrae ossis sacri quinque, quarta et quinta uti vertebrae verae quoque tres particulas ossescentes referunt. In osse innominato ilium punctum semilunare visibile exhibit.

Costa summa ex integro est ossea, in ima exiguum ossificationis signum. Sternum una continua vel tribus cartilagineis partibus constat. Scapulae formam suam adeptae in parte lata et spina parum cartilaginis offerunt.

Amborum extremitatum cartilago jam aliquam articulationem ostendit, cubitus radiusque, tibia ac fibula a se invicem discesserunt, solummodo eorum extrema sunt cartilaginea, non minus metacarpus

ac digitorum ordo primus et secundus in sua ossicula quisque distinguitur 48).

9. 27.

In foetu quatuor mensium partes ossificatae in omnem abitum augentur, ita illae frontis versus fontanellam et ossa sincipitis se extendunt, et ambae, quibus constat, a nasi radice ad fontanellam magnam usque harmonia laxiori junguntur. Ossa sincipitis exacto hoc mense tota sunt ossea. In ossibus occipitis perfecta coaliitione magni ossis triangularis novum tricuspidale succrescere incipit. Partium ossis temporum squamosa magnam partem ossea, petrosa unam lineam annulo subjectam osseam monstrat. Maxillae superioris par jugale et maxillare penitus ossea, illud magno hiatu ab osse frontis distat, hoc figuram adulorum ac palatinum nondum recepit. Ossis sacri partes laterales usque ad coccygem osseam substantiam continent. Os innominatum circa acetabulum osseum principium proiert.

48) Kerkring I. o. tab 33 — Bidloo I. c. fig. 2. 3. Seuff I. c. tab. II. Fig. 3 — 8.

Sternum et capitula costarum sine indicis ossificationis. In scapula ossea basis angusto solum limbo cartilaginea, cervix medietatem osea. In extremitatibus ossificatio majora capit incrementa, in tarso et metatarso puncta ossificationis clariora adparebant, digitorum summi et inferiores articuli quoque nucleis osseis distinguuntur. Patella hoc et pluribus adhuc mensibus cartilaginea 49).

6. 28.

In foetu quinque mensium os frontis circa orbitam perfectum, fontanella et cartilaginea pars minor. In osse sincipitis paulatim suturae arctantur. Temporallium pars squammosa eo ossificata, ut os sincipitis tere, cuneiforme omnino attingat, pars petrosa tria acquisivit ossicula in processu suo mamillari. Ossicula auditus tota osseam naturam assumere processu mallei tympani membranae adhaerente ac finali incudis excepto 50). Os sphenoïdes iam nunc ex uno constat osse

49) Kerkring l. c. tab. 35. Bidloo. l. c. fig. 9 — 13.

50) Cassebom traciale sex de auro humana. Halse 1735.

notatum linea cartilaginea inter processus pterygoideos. In osse etmoideo spongiosa conspicuntur ossicula septo narium adhaerentia. In maxillis, quae ossescere pergunt, rudimenta coronarum dentium visibilia sunt vasculosa membrana ad fundum haerente amicta, et in materie mucosa inter membranam hancce et gelatinam sitam consistunt. Epistropheus habet corpus osseum. In innominato osse os pubis circa acetabulum punctum ossificationis offert. In sterni cartilagine superiori et media ordinis et numeri diversi ossicula adparent, inferior et mucro manent cartilagineae indolis. Limbus cartilinosus scapulae angustior in apice firmitatem osseam acquirit. Artus et reliqua ossa incepta augentur, primus a pollice digitus puncto gaudet in medio articulo sat notabili 51).

6. 29.

In foetu sex mensium ossa omnia insigniter augentur, cartilagines, quae supersunt, minuuntur. In squamulis duabus os-

51) Observavit hoc Cel. Sömmerring messe tertio §. 34.

V. Kerkring l. e. tab. 35.

sis etmoidei, quae ad orbitam constituen-
dam concurrunt, ossificatio absolvitur. 52)

§. 30.

In septimestri foetu cartilagines non paucae suam naturam in osseam ver-
tunt. Ita os frontis. Sincipitis suturae per
harmoniam laxam junctae inveniuntur.
Malleus, stapes, incus, omni respectu
periecta, tantum sub finem mallei pro-
cessus longioris aliquid cartilaginei hae-
ret. In utraque maxilla alveoli dentium
extrinsecus protuberant et permanentium
quoque gelatina comparet. Dens epistro-
phei ossificatur, atlas quoque in corpore,
hic tribus, ille quatuor constat frustulis.
Omnes sinus, tubera, appendices epiphy-
sesque artuum aequa distinete in cartila-
ginibus ac postea in ossibus, hoc et octa-
vo mense adparent, ita et articulationes
plures. Os calcaneum incipit in medio os-
sificari. Secundus et tertius pedis digitus
in medio articulo ossescit 53).

52) Kerkring I. c. tab. 56.

53) Kerkring I. c. tab. 57.

6. 31.

Foetus octimestris quoad ossium constitutionem non differt nisi aucta firmitate et magnitudine. Hiatus inter ossa sincipitis, temporum et sphenoideum disparet. Per fontanellam magnam transpareret sinus longitudinalis. Os tricuspidalis occipitis triangulari adcretum. Ossa temporum processu mamillari carent, quare os petrosum insigni cartilagine adhuc ab occipitis et sincipitis osse distat. Calcaneus et astragalus ossificari continuant et articulationes in cartilagine conspicere licet 54).

6. 32.

Recens exclusus foetus novimestris praeter ossicula auditus, quae perfecta sunt, omnia reliqua plus minus cartilaginosa gerit, quamvis ossificatio ulterius processit ac mense praecedente. Ita epiphyses et apophyses ossium cylindricorum maximam partem cartilagineae indolis, articulationes imperfectae, ossa quam plurima quibusdam frustis constant serius in unum mutandis. Os frontis, quod du-

54) Idem tab. 38.

plum est, per medium usque ad na-
sum tenui cartilagine cohaeret. Os occi-
pitis ex quatuor particulis cartilagine jun-
ctis. Ossa parietalia diploë et sulcis in facie
sua interna destituuntur. H'atus inter breg-
matis tem orum ac sphenoideum os di-
sparuit. Os sphenoideum ex tribus ple-
rumque constat tructis, basi cum proces-
sihus tenuibus juncta, et duo' us laterali-
bus. Os temporum tribus quoque, atque
annulo membrana tympani adnascitur, ex
petrosa parte eminet processus stiloideus,
attamen cartilagineus. Os cribriforme dua-
bus particulis osseis et quidem spongio-
sis, atque lamina intermedia cartilaginea
componitur. Connectuntur ossa crani i vin-
culis cartilagineo membranaceis multum
flexilibus et quam maxime distant, ubi
ossa frontis et sincipitis concurrunt i. e.
fontanella magna. Ossa maxillae superio-
ris figura adultorum gaudent, in interio-
ri in mento sutura adunata obscure ad-
parent foramina quatuor; in utraque ma-
xilla alveoli protuberant folliculum mu-
cosa materie reticulata, rarius perfectum
unum a terumve dentem gerentes. Os hy-
oideum adhuc majorem partem carti agi-
neum iisdem, ex quibus in adultis con-

stat partibus basi, cornubus duobus et duabus granis ornatis, in quavis continetur granulum osseum. Vertebrae ex tribus adhuc partibus multa cartilagine cohaerentibus consistunt, apophyses spinosae desunt. Os sacrum in 5 vertebrae distinctum ex multa cartilagine, os coccygis ex tribus vel quatuor tructis cartilagineis in parte interiori et media uno vel duobus punctis osseis gaudentibus componitur. Sternum in tres vel plures divisum partes initia et in mucrone cartilagineum est. Partes ossis innominati laxis cartilagineibus ad acetabulum connectuntur, crista ilii quoque cartilaginea et regio tuberis ossis ischii et pubis. Acetabulum et ambo processus scapulae ejusdem sunt indolis, ipsamet lata parte ossea et tribus additamentis cartilagineis constat, quae sensim ab illa ossea absumuntur in epiphyses arbitura. Costae et claviculae perfecte osseae extremis cartilagineis exceptis. Os humeri, cubiti, radii, corpore osseo et extremis in epiphyses mutatis constat. Excepto calcaneo et astragalo, quae partem osseam habent, omnia carpi tarsiique ossa adhuc cartilaginea. In extremitate interior ore omnium ossium extremitates in epi-

physes versae. Ossa metacarpi et metatarsi ex trunco osseo ac cartilagineis adnescentiis uti dicta mox ossa fistulosa constant, id tamen discriminis est inter singula, quod pollicis metatarsi posterior extremitas jam in epiphysin mutata sit. Digitorum ordines pedis et manus respondent metatarso, in tertio ordine os incipit in extremo priore, omnium epiphyses cito cum truncis confluunt. Patella et ossicula sesamoidea ex integro cartilaginea. Omnes sinus demum, tuberes, articulationes et epiphyses hoc mense perfecte evolutae cernuntur 55).

6. 33.

Post nativitatem ad decimum quintum annum et ultra augeri et perfici continuant, quod temporis spatium incrementum ossium complectitur. Attamen mutationes, quae contingunt non arctis adeo temporum intervallis conspicuae fiunt imo eo ampliora complectuntur, quo altius aetas procedit. Si quae dantur signa luculentiora et pluribus aetatis periodis constan-

55) Kerckring tab. 39. Bidloo l.c. tab. CI et CII. Quoad singula esse vide Albini incomes officia. Soeius.

tius convenientia, in mutationibus, quas dentes ex alveolis suis egressi et usu quotidiano subeunt, erunt quaerenda.

6. 34.

Dentes, quorum germina quinto jam mense post conceptum videre licet (6. 28) per adpositionem lamellarum ossearum ad extus decrescentium, quo crassities radicum et amplitudo cavitatis circa apicem imminuitur ⁵⁶), persiciuntur. Hac radicum prolongatione gingivam penetrare coguntur atque integrum coronam exporrigunt, cum eadem ratione maxilla non increscat. Materies vitrea quedam crystallisationis processu in pulpa gelatinosa orta osseam obducit coronam. Praeter interiorem osseam et vitream sive adamantinam, quae durissima est, materiam omnis dens intus canaliculo periostio investito et ab apice versus coronam ducto gaudet.

6. 35.

Ordo, quem dentes tum primarii, tum secundarii seu permanentes in erup-

⁵⁶) Hunter the natural history of the human Teeth, deutsch, Leipzig 1780. 4. Tab. XII. fig. 7.

tione sua servare solent atque trituratio-
nis phoenomena, quam crusta adamanti-
na primum, dein ossea materies experitur,
adcuratiorem aetatis determinationem ad-
mittunt. Inter sextum et septimum men-
sem itaque dentes incisores medii prius
maxillae inferioris, serius quidquam su-
perioris irrorumpunt. Eodem tempore in-
cipit ossificatio dentium secundariorum,
quorum rudimenta in alveolis foetus jam
octavo mense comparehant (6. 30). Men-
sis us octavo usque ad duodecimum inci-
sores externi, dein molares primi emer-
gunt.

6. 36.

Anno secundo infantiae canini pri-
mum inferiores, mox superiores et tan-
dem molares secundi in conspectum ve-
niunt. Ossificatio molarium permanentium
hoc anno perficitur. Acies vero incisivo-
rum lacteorum tricuspidata tritu jam rec-
tilinea facta occurrit. — Tertio et quarto
aetatis anno tenuis et transversa eaque
flavicans linea abrasam crustam ac ejus
loco osseam substantiam prodiisse deno-
tat. In caninis quoque cuspis obtusa et

puncti flavicantis indicium circa finem quarti anni obvenire solet. Eodem fere modo et tempore abraditur dens primus molaris maxillae inferioris.

6. 37.

Anno septimo e'abuntur incisivi inferiores, octavo superiores iidem, sequuntur canini et mo'ares decimo usque ad duodecimum, postquam illorum particula detrita et flavescentia sensim latior evasit. Sequitur mox illorum occasum permanentium progerminatio ordine non multum alieno; circa septimum nimirum incisores medii et molaris tertius, qui persistens est; serius incisores externi, circa nonum annum molaris primus, secundus; serius caninus utriusque maxillae et lateris; quartus molaris inter sextum et septimum ossificari in alveolo incipit. Undecimo anno, uti secundo in lacteis, acies in secundariis fit rectilinea.

6. 38.

A decimo septimo ad vigesimum haec incisivorum acies transversa et tenui linea

notata obvenit. Molaris quartus supra gingivam emergit; ultimo par quintum molarium, sed hoc non raro quidquam serius. In caninorum corona conspicitur obtusa cuspis punctum flavum gerens, simili hac tempore ambo molares primi maxillae superioris et secundi inferioris, quos ob hinc cuspides hicupidatos vocat *Hunterus*, in externa cuspide ostendunt, in interima breviori id post trigesimum ad quadragesimum accidit. Inter quinquagesimum et sexagesimum puncta haec in semilunares maculas augentur in annulum serius confluentes, cuius medium interstitium plaga crustae vitreae occupat in senectute decrepita tandem eradenda.

6. 39.

Corona reliquorum molarium in cuspidibus suis, quarum tres, quatuor vel quinque notantur, obtunditur et totidem punctula flava exhibet, quod in tertio et quarto dente trigesimo et quadragesimo, serius in dente sapientiae i. e. quinto materi manifestum est. Puncta haec inter quinquagesimum et septuagesimum annum in latiorem quoqae plagam extenduntur,

quemadmodum quadragesimo punctum abrasum caninorum jam in semilunarem maculam abivit, quae increscit, quo plus coronae absuntur. Incisores vero secundarii lineam flavicantem a vigesimo ad quadragesimum quintum continuo latiorem offerunt atque in proiecta aetate loco aciei scindentis latam superficiem et irregularē maculam monstrant ita, ut corona dimidiā imo duas tertias partes tritū amiserit 57).

6. 40.

Mutationes quas caetera ossa in diversis periodis aetatis experiri solent, notabiliores hae sunt: Primo anno os frontis, maxilla inferior et sphenoideum ex frustis suis coalitis unicum factum est, suturae formari incipiunt, superficies interna ossium calvariae impressiones vasorum et cerebri retinet, externa hinc inde aspera evadit. Septimo et octavo anno, partes ossium, quae epiphyses formant, scilicet extrema cylindricorum, hae ipsae

57) Prohaska oper. min. tom. II. De decremento dentium corporis humani, et tabulam VIII.

perfectae sunt 58). Epiphysis anterior ossis metatarsi pollicis circa decimum jam ex toto cum truncu suo connexa est, raliuorum vero ad plenum incrementum usque ergo ad decimum octavum et vige- simum annum distinctae sunt, postea autem ex integro ossificatae a corpore se- parari amplius nequeunt.

§. 41.

Exacto anno vigesimo quinto tandem crista cartilaginea ossis ilii, apex ejusdem indolis processuum spinosorum vertebrarum lumbi et dorsi, atque infima pars sca- pulae quoque cartilaginosa in os abeunt. Ossa tunc temporis acmen attigerunt, ad quadragesimum aut quinquagesimum usque parum mutantur, nisi quod crassiora hincinde fiant, sulci ac impressiones pro- fundiores, tuberes, processus et margines magis emineant, firmissima proinde hoc tempore existant.

58) Sceleton infantis unios et dimidii anni et pueri anno- rum novem inspice in *Cheselden Osteographie*. Lond 1753. fol.